dictum imperatorem adiratum, de urbe ad ecclesiam beate marie ad
Aquisgranum fuit translatum, et ibidem honorifice tumulatum. Sanctus itaque
Heribertus sponsionis suae quam in via fecerat imperatori, non immemor, edificavit
et instituit abbaciam Tuiciensem in castro episcopali Tuiciensi, in honorem beate
Marie virginis, ostenso sibi in visione divinitus loco, ubi et ipse postmodum
sepultus, clarens miraculis, feliciter in domino requiescit. Mortuo autem, sicut
iam dictum est, Ottone III, et Henrico II ad imperium iam electo, cuius quidem
electioni sanctus vir Heribertus presens non fuit, dictus Henricus imperator
diu habuit ipsum sanctum Heribertum suspectum, quasi ipse habens scilicet
apud se insignia imperialia, quae a prefato Ottone 3o ipse superstes recepe-
rat, temptaverit in alium transferre regni diademata. Mansit igitur inter hos
duos sanctos viros, videlicet Heribertum archiepiscopum et Henricum imperato-
rem secundum, qui etiam ipse postmodum canonizatus fuit, simulate
pacis longa discordia et simultas. Cum igitur imperator multa
ad rem non pertinentia archiepiscopo sepius imponeret, quae tamen
idem archiepiscopus sustinuit patienter: Tandem imperator adveniens Colo-
niam et indignantem animum contra archiepiscopum gerens, ab ipso tamen
episcopo fuit officiosissime susceptus. Nocte itaque sequenti imperatori
sompnum capienti apparuit in visu sibi astare vir terribilis vultum habens,
sacerdotali infula decoratus, sibi dicens, quod nihil sinistrum contra virum
dei Heribertum ulterius moliretur. In crastinum igitur Augustus in
throno residens, et ex industria per internuncios immensam
pecuniam ab ipso archiepiscopo exigens, quod tamen in animo
non gerebat, Dum archiepiscopus ad eum ingrederetur et mestus deplo-
raret calumnias, quas ab ipso innocens sustineret, astantibus
quidem nonnullis consiliariis, animum imperatoris contra archie-
piscopum inflammantibus ad indignationem: Ad haec Augustus
surgens de throno prorupit in amplexus et oscula sancti viri,
confitens, se fuisse contra eundem malorum consilio depravatum,
et de commissis in ipsum ab eodem veniam suppliciter expe-
tivit. Dum igitur tria fuissent hi duo sancti viri sub testimonio
trinitatis osculo federati, erubescentes adversarii dilabuntur, et
imperator et archiepiscopus iuxta se in solio collocantur de nego-
ciis rei publice tractaturi. Sequenti vero nocte, dum archiepiscopus
post matutinas in ecclesia solus in oratione persisteret, imperator observata
hora congrua, uno duntaxat clerico comitante, pulsans ostium ora-
torii subintrat, et abiecta clamide pedibus archiepiscopi advolvitur,
confitens humiliter in eum peccasse. Et ita cessavit inter sanctos
dei simultas, nullo de cetero rancorum vestigio remanente. Cetera hujus
sancti Heriberti vite et sanctitatis sue memoralia, quae non sunt
pauca, in eiusdem legenda, quae in multis reservantur ecclesiis, ple-
nius continentur. a) [Anno 19. Henricus imperator Colonie natale
domini celebrans Heribertum archiepiscopum a se divinitus vi... trac-

Tuto(?).

a) ~~transferri 1. regni add 2.~~

a) ~~in imperium 2~~

1. 2.

a) in o. deest 2 3.

a) Hic 2 addit
quae procul dubio in codice
primario alia manus margini
ascripserat. Desunt ea 1. 3

a) ~~Hic 2 addit que~~

~~Haec 1. 3 desunt. Scripsit 1 ea in margine inventa in textum recepit~~

[bis] in die Anmerkungen